



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Eduardus Rex. 5. Ian.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

æstus culicumque morsus corpus animumque durarunt, & formam illam augustam extinxerunt, prodit è latebris monachum induta, Eunuchum se dicit, Dorotheum apud Macarium nominat. Interea adest soror, & è sorore pellendus dæmon. Pellitur à Dorotheo. Sed redit & præstigiis gravidam filiam Anthemii oculis exhibet, simul parentem Dorotheum mentitur. Ilicet hic ad patrem raptatur, inde ad crucem raptandus. At Dorotheus parentibus, & sorore in locum solum abductis, hanc iterum sanat, illis, positâ tantisper personâ, filiam se probat. Mox ad scenam suam revertens eremum, pergit monachos, orbem, orbem ludere; dum denique cum omnium plausu castissimam larvam mors detraxit. *Ex Sur. & Men.*

Indicamus bella peccatis, conflictum vitii nunciemus, securi de victoria; quia nec arma caelestia hostes poterunt superare terreni, nec divino Regi adversa poterunt contraire mundana; neque vigilantes & sobrios Diabolus perturbare suis superventibus poterit. S. Pet. Chryf. f. 12.

S. EDUARDUS REX. 5. Ian.

EDUARDUM in utero adhuc latitantem fortuna tamen Angliæ Regem legit: firmavit electionem cælum: siquidem

22 VITÆ SANCTORUM. 5. Jan.
in Regem unctus ab ipso Apostolorum
Principe memoratur. Conjugio porrò,
ad quod invitum regni Proceres traxe-
runt, virginitatem copulavit, pulcher-
rimo matrimonio. Pater Pauperum, fi-
lius dici poterat summi Pontificis, ita
hunc semper coluit: tributa liberaliter
remisit, postquam iis incubare custo-
dem orci Cerberum vidit. Jam nec ad
vilis mendiculi postulata erubuit, qui
membris suis captus promissum à D.
Petro sanitatem asseverabat, si bajulo
ad templum Rege uteretur: quin mox
in humeros sustulit pium onus, ad aram
portavit, stipemque divitem sanitatem
addidit. Sed & cæci nonnulli, quã un-
dã manus Rex laverat, hac oculis ipsi
tenebras eluerunt. Facienti Sacerdoti
cùm adesset, conspicuus ei ab arã be-
ne precatus est Christus. Quidvis a-
more D. Joannis, quem Evangelistam
dicimus, rogantibus, nihil visus est un-
quam negasse. Hanc ille religionem præ-
clare obsignavit annulo suo, dum eum
ipsi Divo mendicabulum adsimulanti
dono dedit. Hic annulum Regi remi-
sit, simul de mortis horã commonuit;
quem nuncium ille toto mox regno
vulgavit, quò preces undique piorum
cogeret. Atque eo viatico, quamvis
suis jam dives meritis, longum cæli iter
ingressus est, anno post. Virginis patrum
M. LXVI. & quia nullum corpus animo
virgini

virgini in vitâ, mors diu nullam etiam corpori in tumulo labem aspersit. *Ex Surro.*

Studeant humiles quotidie in humilitatis virtute proficere, imitantes Regem, qui abjecto onere carnalium & regalium indumentorum coram Domini arca nudatus exiliens & exultans uxori sibi objicienti respondit, Ludam, & vilior fiam coram Domino. B. Laur. Iust. lib. 1. de Humilitate.

EPIPHANIA DOMINI. 6. Ian.

Salutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes, & cantus festivos Principem suum cælo delapsi cives, aulamque nati Reges quotidie deinceps frequentabant. Sed & orcus rebellis hucusque metu jam suo venerabatur. feræ ipsæ Dominum suum supplices agnoverant; ut jam aliud nil restaret, quam ut terra etiam officium suum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum orbis universus se componeret, tres è regnis suis exciti magi magnis itineribus Bethlemlum contendunt, sacramentum Christo nato omnium nomine dicturi. Atque, ut ne aberrarent, placuit Superis ducem stellam dare, & fallere, & falli nesciam. Ita Hierosolymam ventum, seduloque in novi Regis cunabula inquisitum. At Herodes in regno suo alium præter